

1558. *αὐτοῦ ξένια δὲ Ven.* *αὐτοῦ· ξένια δὲ*, iuncto *αὐτοῦ* cum verbis praegressi versus, Vict. et sic, ut videtur, Flor. *αὐτοῦ.* *ξενία* δὲ, cum glossa *φιλοξενία*, Farn. Blomfieldius, quem secutus est Schlefieldius, *αὐτός* scripsit, iunxitque praecedentibus. Monui in adnotationibus ad Agamemnonem Humboldti scribendum esse *ἀστοξένια* δέ. *Ἄστοξενοι* interprete Hesychio sunt *οἱ γένει μὲν προσήκοντες, ἐπὶ δὲ τῆς ἀλλοδαπῆς γεγονότες*. Fere eadem leguntur in Bekkeri Anecd. p. 456, 5. Alii alia prodidere, de quibus Ruhnkenius dixit ad Timaeum p. 57. commemorans ille etiam permutata *ἀστοξενεῖν* et *αὐτοξενεῖν* apud Hesychium. Sic apud Moschopulum *περὶ σχεδῶν* p. 119. bis *αὐτόξενος* pro *ἀστόξενος* legitur, correctum a Valckenario Animadv. ad Ammonium p. 113. Auctoribus ab Ruhnkenio memoratis adde Eustathium p. 485, 20. et Aeschylum Suppl. v. 341. quem locum, quod praeteriisse videtur Ruhnkenium, spectavit Pollux III. 60.

1559. Schützius, vulgatum *αὐτοῦ* in praecedente versu languere sentiens, et illud vocabulum et *Ἀτρεὺς προθύμως μᾶλλον ἢ φίλως* in minore editione ingeniosa sane coniectura delevit, ut sic procederet oratio, *ξένια δὲ τοῦδε δύσθεος πατὴρ πατῷ τῷμῷ*. Sed restituto *ἀστοξένια* patet sublatum esse vitium.

1561. *παιδίων* Vict. *παιδείων* Scaliger. Et sic Ven. Flor. Farn.

1563. 1564. Libri *ἐζηρυπτ' ἄνωθεν ἀνδρακὰς καθήμενος*. *ἄσημα δ' αὐτῶν* etc. Ad *ἀνδρακάς* in Farn. adscriptum *ἀντὶ τοῦ καθέαντόν*. Non potuisse Aeschylum ita scribere manifestum est: neque coniecturae, quibus viri docti haec tentarunt, probari possunt. Verum quod olim putavi, excidisse aliquot versus post v. 1562. non amplius credo, quum vitia orationis facillime tolli possint. Scripsisse enim videtur Aeschylus

*ἐζηρυπτ' ἄνωθεν ἀνδρακὰς καθημένοις*  
*ἄσημ'· δ' δ' αὐτῶν* etc.

Et illud quidem *ἄσημ'· δ' δ'* etiam Dindorfius, sed, ut cetera legit, inepte. Est autem *καθημένοις* dativo, non accusativo casu scribendum, quia non illud agebatur ut convivas celaret, sed ut coram convivis Thyesten. De Thyeste Hyginus fab. 88. *qui quum vesceretur, Atreus imperavit brachia et ora puerorum afferri*. Similiter apud Herodotum I. 119. Harpago filii caput, manus, pedes, in canistro, quo abscondita erant, ostenduntur.

1567. Libri *ψυωξεν* *ἄν. πίπτει δ'* *ἀπὸ σφαγῆς ἐρῶν*, nisi quod in Vict. comma est post *ἄν.* et *ἀπὸ* scriptum. Non omnia feliciter Canterus, sed recte tamen *ἀμπίπτει*. Deinde Auratus et Vossius *ἐμῶν*. Id male Wellauerus dictum putat pro *ἀπεμῶν σφαγῆς*, genitivo partem significante. *Ἀπὸ σφαγῆς* est *a mactatis carnibus*, fastidio scilicet affectus. Tuetur autem Aurati emendationem historiam. *Ἐμεια* Suida et Zonara p. 700. testibus locus fuit vicinus Mycenis, dictus ita quod ibi carnes